



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xlvi [i.e. iii]. Cognoscunt objecta præsentia naturalia intuitivè, futura necessaria certò physicè, sed abstractivè: futura liberè probabiliter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

absquē hac sigillatione. Quod autem aliqui de facto sic solū inter se distinguantur, suadet ex eo, quōd aliās dicendæ sint innumera species integræ horum spirituum periisse in æternum; quod de divina bonitate præsumendum non est, quæ ne quidem permisit unam speciem hominis totam perire.

III. Intellectus Angelicus non est distinctus à substantia Angeli. Objecta præsentia naturalia cognoscunt Angeli intuitivè. Futura necessaria cognoscunt naturaliter certitudine tantū physica & abstractivè in causis, cum quibus necessariam habent cōnexionem. Futura liberè per vires naturæ non cognoscunt certò (nequē enim ea in se cognoscunt, quia eorum utpote rerum nondum existentium species iis sunt indebitæ, nequē in eorum causis liberis, utpote ad ea indifferentibus) sed connaturaliter tantū & probabiliter longâ docti experienciâ. Secreta cordium, & ea, ex quibus in eorum notitiam facile devenire possent, non norunt, nisi ad elicientis vel habentis beneplacitum; exiget enim agens intellectuale dominium peculiare physicum & morale in suos actus liberos, ita ut eorum exercituum, & usus fructus nequē

physicè, neq; moraliter queat impediri, quod fieret, si aliis paterent. Unde sunt hæc secreta intra objectū quidem naturale, id est, nō supernaturale intellectus angelici, nō verò intra objectū naturale, id est, cuius species eis debeantur. Ens quò ad substantiam supernaturale nullum intuitivè cognoscunt naturaliter.

IV. Ad res à se distantes, sive materiales, sive eæ sint spirituales, cognoscendas egent speciebus; cōpleri enim nequit eorum intellectus per objectum materiale, utpote improporionatum, neq; per spirituale distans, cum illud nequeat agere in distans. Ad objecta tamen sibi præsentia unitivè, sive per identificationem V.G. se ipsum, suas species, volitiones cognoscendas egere non videtur speciebus; secus est de aliis intimè præsentibus v.g. alio Angelo, anima rationali &c. nō videtur enim hæc objecta per solam præsentiam localem satis subordinari potentia, ut cum ea cōstituant unum agens adæquatum.

V. Species impressæ infunduntur Angelis, producunturq; à solo Deo: rerum naturalium quidem ad exigētiam Angelorum (quæ species tamen ideò non sunt supernaturales) aliàs nihil præter sibi intimè præsens cognosceret